Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 243
Quelle:
Copyright:

Scriptus dicitur ſub finem: Anno domini 1414. *Auſtii* ſive *Auſchae*, quo nomine plures in *Bohemia* civitates ſunt, die SS. Martyrum *Johannis* et *Pauli*. Autorem Opuſculi *Joh. Huſſum* eſſe, non incredibile, quamvis inter ejus latina Scripta non extet, atque hinc *Auſtium* in Circulo *Taborienſi*, nunc dirutum, intelligendum puto. *Conſtantiam* ille hoc anno 3. demum *Novembr.* adpulit.

XIII. *fol.* 81. Tractatus bohemice ſcriptus *de Decimis*, principio tamen et fine truncatus, *Capita* III et IV. integra cum parte II. et V. complexus, itidem fortaſſe *Joh. Huſſi*, quamvis multum eo prolixior, qui inter Scripta ejus latina viſitur P. I. p. 156.

XIV. *fol.* 93. *Utrum ex fundamento ſcripture ſacre et teſtimonio antiquorum ſanctorum poſſit oſtendi. uel credi debeat, quod in ſacramento altaris corpus chriſti. de virgine natum. paſſum etc. ſit in ſua propria exiſtentia. vel natura.* Statuitur multis praemiſſis et examinatis Scripturae et PP. locis, *quod corpus Chriſti panis vivus exiſtens in ſacramento altaris verius et nobilius ibi exiſtat in ſui natura ſecundum vitam ſpiritualem et diuinam et immortalem quam olim exiſtebat ſecundum vitam animalem mortalem* &c. Quod *corpus et ſanguis vere cibus et potus exiſtentes velentur formis viſibilibus panis et vini* &c. et alia Dogmati catholico congrua. Verum, cum *fol.* 121. conetur Autor *Wicleffi*, quem *Doctorem Evangelicum* adpellat, argumenta contra Praeſentiam realem et exiſtentiam in diverſis templis mollius interpretari et ſententiae ſuae adcommodare, *Jacobellum* eum putem, id quod Cod. alio certum fit.

XV. *fol.* 125. Quaeſtio lingua *bohemica* tractata, utrum Chriſtiani obligati ſint perſiſtere in unitate et obedientia Romanae Eccleſiae. Adfirmatur contra *Wicleffum* et ejus Apologiſtas, probaturque e conſuetis Locis Theologicis, adducto ſub finem ipſius *Huſſi* teſtimonio ex ejus Scripto contra M. *Stanislaum de Znoyma.* Scriptum iſtud extat Opp. *Huſſi* P. I. p. 331. Initium Quaeſtionis: *Otazka geſt velmi vžiteczna a wiedieti wteto zemi wtiechto Czechach velmi potrzebna* &c. Autor tacetur.

XVI. *fol.* 149. Tractatus itidem *bohemice* ſcriptus de Exiſtentia Corporis et Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, qui incipit: *Dobrota ſwrchowana pana naſebo Jezu kryſta* &c. et eſt pene Verſio *Quaeſtionis* N. XIV. indicatae.

XVII. *fol.* 182. p. 2. *Notandum de feſto paſche Antiqui patres eccleſie primitiuè quid ſenſerunt et quo tempore obſeruarunt.* Sequuntur Excerpta ex *Euſebii Pamph. Hiſt. Eccl.* L. V. a *Cap.* 22. ad 25. quamvis Margo *Cod.* a *Cap.* 20. ad 25. cenſeat.

XVIII. *fol.* 187. *Super paſſione domini noſtri ihesu chriſti.* Succinctae Gloſſae in hanc τȣ Μονοτεσσαρȣ partem, in quibus poſt *Bedam* et *Rabanum* etiam *Simon de Caſſia* citatur. Initium: *Notan-*